

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Socratis Scholastici Historiae Ecclesiasticae, Liber Sextus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

S O C R A T I S  
S C H O L A S T I C I H I-  
S T O R I A E E C C L E-  
S I A S T I C A E,  
Liber Sextus.

P R O O E M I V M .



Rouinciā Ecclesiasticæ Historiæ vñq; à temporibus Constantini , pro virili parte accuratè conscribendæ abs te nobis impositam, Theodore sanctissime , in quinque superioribus libris cumulatè expleuimus. Cæterū hoc intelligas velim nos in sermone limatus perpoliendo nō adeo elaborasse: quippe illud mente complectebamus, quod quamuis in verborum elegantia à nobis multum operæ positum esset, fortasse tamē id quod animo institueramus, minimè fuissimus consecuti. Quod si consecuti fuissimus, non tamen illud scribēdi genus, à veteribus usurpatum, quo quidem res pro arbitratu vel amplificare, vel diminuere existimantur, omnino consequi poteramus. Eodem accedit, quod talis oratio vulgo & imperitis hominibus, qui non verba concinnè & eleganter constructa collocataq; admirari solent, sed rerum solum cognoscendarum auiditate ducuntur, nihil apportat commodi'. Proinde ne opus à nobis suscepimus utrisque incommodum videretur, hoc est & peritis, quod cū eleganti veterum scriptorum sermone nulla ex parte posset comparari, & imperitis, quod res nimis exquisito orationis artificio inuolutas peneq; obrutas animo assequi nō queat, eam scribendi rationem secuti sumus, quæ quamuis demissior humiliorque videatur, est tamen ad intelligendum multò facilior. Porro nobis in Sextum librum iam ingressuris, illud primum dicendum videtur, quod res nostra memoria gestas tractatur, nō nihil pertimescimus, ne ea scriptis prodere videamur, quæ sint nonnullorum animos offensura:

vel

vel quia veritas, vti in proverbio est, hominibus permolesta est, cum eorum nomina, quos diligunt, laude & prædicatione minimè efferamus, vel quia illorum res gestas magnis præconiis neutiquam extollimus. Nam qui personas ecclesiasticas in summo habent honore, nobis criminis dabunt, quod Episcopos non vocamus Deo Charissimos, aut sanctissimos, aut aliis id genus nominibus. Alij qui sunt paucis curiosiores, interdum vertent vitio, quod Imperatores non diuinissimos, aut dominos, aut aliis titulis, quos homines illis tribuere solent, appellamus. Verum quoniam veterum scriptorum testimoniis perspicue probare, ostendereque possum, seruum in eorum libris dominum suum proprio nomine compellasse, ego quo rerum veritati, vti deboeo, inferuiam, istos dignitatis titulos penitus contemnam: & legibus obsequens historiæ, quæ simplicem syncretamq; rerum gestarum narrationem, eamque omni fuso parentem postulant, deinceps ad ipsam historiam aggrediar: & ea scribam quæ partim ipse vidi, partim ab his qui illa cōspexerunt, perdidici: quæ quidem vera esse inde exploratum habeo, quod qui eadem mihi narrabant, ipsi narrando minimè inter se discreparunt. Veritatem certè elicere erat mihi propterea valde laboriosum, quod tam multi homines, tamque varijs res mihi significauerant: quorum alii ipsis rebus gestis interfusse dicebant, alij easdem cognoscere, vel maxime quæsivierant.

*Quod mortuo Theodosio Imperatore, cum liberj eius imperiū partirentur, ac redeunti ab Italia paulo post exercitui Arcadius obuiam veniret, Rufinus praefectus ad pedes Imperatoris occisus est.*

CAPVT I.

**T**Heodosio Imperatore mortuo, Olybrio, & Probino Cosl. ad decimū sextū Calend. Februarii, eius filij gubernacula Imperij Romani suscepérunt. Atque Arcadius, partium ad Orientē sitarū, Honorius autē earum, quæ spectant ad occidentē, principatū obtinuit. Eisdē téporibus ecclesia quæ est Romæ, vrbis primariæ, præfuit Damasus: Alexádrinę Theophilus: Hierosolymitanę Ioánes: Flauianus Antiochenæ: Cōstantinopoli aut quæ est noua Roma,

## SOCRAT. HISTOR.

Nectarius, sicut in libro superiori à nobis com memoratum est, episcopalem sedem occupauit. Sexto Idus Nouembris in ipsius Consulatu corpus Theodosii effertur ad sepulturam, & ab Arcadio filio consuetum funus honorifice celebratur. Haud multò post, ad quintū Calend. Decembris, exercitus, qui cum Imperatore Theodosio contra tyrannum Eugenium dimicauerat, eo aduentauit. Vbi igitur Imperator Arcadius, ut moris est, ad portas ciuitatis exercitiū obuiam processit, ibi tum Ruffinum, Legatum Imperatoris obtruncant. Nam & in suspicionem venerat occupandæ tyrannidis, & opinio de eo erat concepta, quod Hunnos gentem Barbaram in agrum Romanum aduocauerat. Etenim eodem tempore & Armeniam, & alias quasdā partes orientis vastauerant. Eodem die, quo Ruffinus erat imperfectus, Marcianus Nouatianorum Episcopus excessit è vita: in cuius Episcopatum Sisinius, de quo supra fecimus mentionē, successit.

*De Nectarij morte, & Ioannis creatione.*

C A P. I I.

NON longo temporis spatio interposito, Nectarius Episcopus Constantiopolitanus obiit mortem: Cæfareo & Attico Coss. quinto Calend. Octobris. Itaq; statim de Episcopo diligendo vehementer laboratum est. Et cum alij alium ad id munera quærerent, deq; ea re saepo consilium iniretur, tandem visum est, Ioannem Antiochiae presbyterum, Antiochia accersere. Nam de eo fama percrebuit, qnōd & ad docendum aptus, & in dicendi facultate valde peritus erat. Quamobrem haud diu post, Imperator Arcadius cōmunibus omnium suffragiis, id est cleri, & populi illum accersit. Et quo eius ordinatio plus haberet auctoritatis, aderant de Imperatoris mandato cum aliis complures Episcopi, tum Theophilus Episcopus Alexandriæ: qui omni studio eò incubuit, vt Ioannis famam læderet, & Isidorum suæ ipsius ecclesiæ presbyterum, ad illum Episcopatum eueheret. Hunc Isidorum Theophilus propterea charum habuit, quod ipsius causa prouinciam valde periculosam aliquando suscepisset. Quænam illa fuerit iam dicemus. Cùm Imperator Theodosius, contra Maximum tyrannum

rannum prælio decertaret, Theophilus per Isidorum munera ad Imperatorem cum binis literis misit, præcepitque ut victori & munera, & alteras literas offerret. Isidorus, quo hoc negocium obiret, Romam contendit, victoriq; sedulò obseruat. Verùm illud factum non diu in abstruso latuit. Nam lector illius, qui vna cum illo aderat, literas clam surripuit. Vnde Isidorus metu perculsus, absque mora Alexandriam profugit. Hæc quidem causa fuit, cur tantopere à Theophilo esset pro Isidoro laboratum. Verùm qui erant ex aula Imperatoris, Ioannem prætulerunt. Ac posteaquam multi crimina Theophilo intentabant, & libellos contra illum, alius ob aliam causam, Episcopis, qui tum aderant, offerebant. Eutropius, qui cubiculo Imperatoris præfuit, criminationes aduersus Theophilum illatas, scriptisq; proditas na&tus, Theophilo ostendit, docuitq; liberam optionem illi datam esse, vel Ioannem Episcopum ordinandi, vel iudicium de criminibus ei obiectis subeundi. Quibus perterritus Theophilus, Ioannem designat Episcopum. Proinde cum esset ad sacrum Episcopatus gradum designatus, in sede Episcopali collocatus fuit, quarto Calend. Martij proximis Coss. quibus Imperator Honorius Romæ, Constantinopoli autem Eutichianus tum Imperatorum praefectus rem publicam administrauit.

*De Ioannis Constantinopolitani Episcopi genere & educatione.* CAP. III.

**V**erùm quoniam Ioannes, vir per celebris fuit, tum propter libros quos reliquit posteritati, tum propter gravia pericula & tempestates, in quas incidit, operæ premium visum est eius res gestas non silentio præterire, sed ea, quæ de eo pluribus dici possent, summatim comprehendere, narrareque vnde sit ortus, ex quibus parentibus, quomo do ad sacerdotij dignitatem vocatus, qua ratione illa abdicatus, denique quo pacto post mortem plus consecutus honoris, quam cum viueret. Ioannes oriundus fuit ab Antiochia, quæ est v̄bs Celosyriæ: patre Secundo, matre Anthusa, ex genere Patritio, discipulus Libanij sophistæ: auditor etiam Andragathij philosophi. Qui cum ad res forenses assimum adiucere institueret, simulque consideraret, eorum

S O C R A T . H I S T O R .

vitæ genus, qui in illis rebus versantur, quām improbum esset, & iniūcum, ad viuendi rationem magis pacatam & tranquillam se transtulit. Quod quidem fecit, exemplo Euagrii inductus: qui ab eisdem cum illo præceptoribus & magistris institutus, iam pridem quietam viuendi viam ingressus fuerat. Confestim itaque & habitu mutato, & incessu, ad sacras literas perlegendas omnem suam curam & cogitationem conuertit: operamque nauauit assidue, ut Ecclesiæ Christi prodeffet, Suadet Theodoro & Maximo condiscipulis suis, qui pariter cum ipso Libanum Sophistam audiuerant, vt eo vitæ genere, quod in pecunia facienda versatur, derelicto, hoc quod paucis contentum est, sequantur. Ex quibus duobus Theodorus Mopsiestiæ vrbis Ciliciæ postea Episcopus fuit: Maximus Seleuciæ, que est in Isauria. Iste igitur id temporis permagno virtutis studio inflammati, monasticam disciplinam didicerunt à Diōdoro & Carterio: qui tum quidem monasterio præfuerunt: postea alter illorum, nempe Diodorus Episcopus Tharsi constitutus, multos libros conscripsit: & dum nudæ sacrarum scripturarum literæ solum attenderet, à sensu & intelligentia abstrusione iliarum penitus deflexit. Sed de his satis. Ioannem qui cum Basilio primum Diacono à Meletio designato, postea Episcopo Cæsareæ Cappadociæ ordinato, multum diuque versabatur, Zeno Episcopus Hierosolymis reuersus, Lectorem Ecclesiæ Antiochenæ constituit. Qui dum lectoris occupabat gradum, librum illum, qui contra Iudæos inscribitur, composuit. Post paulò, diaconatus dignitatem assecutus à Meletio, libros de sacerdotio contexuit: itemque eos, quos contra Stagirium scripsit. Quinetiam quos de incomprehensibili, quosque de mulieribus ascitiis inscripsit. Postea ubi Meletius Constantinopoli (ibi enim aderat propter Gregorij Nazianzeni ad Episcopatum ordinationem) decepsit è vita, Ioannes relictis Meletianis, & communione cum Paulino repudiata, tres annos continuos vitam quasi solitariam & à negociis vacuam degit. Post, Paulino mortuo, ab Euagrio, qui Paulino succedit, presbyter designatus est. Eius vitæ consuetudo, antequam Episcopus erat delegatus,

mus, vt paucis complectar, hæc fuit. Erat homo, vt fertur, propter incredibile temperantiae studium moribus aliquanto seuerior, & vt quidam dixit, qui illo ab ineunte adolescentia familiarissimè vsus fuerat, iracundia potius, quam obseruantiae indulgens. Ac propter exquisitam vitæ institutionem, rerum futurarum non satis prouidus, sed præ simplici & syncero animo facilis ad decipiendum. Quintam libertate loquendi aduersum eos, qui cum eo in colloquium veniebant, extra modum vsus est. Atque vt in docendo multum operæ posuit, vti audientium mores emendaret: sic in colloquiis, illis, qui eius mores ignorabant, paulo habebatur insolentior.

*De Serapione Diacono, quo incitante, inimicus & hostis clero effectus est Ioannis.*

C A P. IIII.

Iannes his moribus imbutus, & ad Episcopatus honorem sublatus, dum constitueret (sic enim putabat) clericorum suorum viuendi rationem corrigere, maiorem seueritatem, quam par erat, in eos declarauit. Itaque statim in initio Episcopatus, cum aduersus clerum paulò visideretur acerbior, ab illo propterea odio habitus est: ac complures erga eum animo offensiore esse, & tanquam nimis iracundum vitare cœperunt. Serapion illius ecclesiæ diaconus, cur in omnium offensionem incurreret, author profectò fuit. Qui præsente vniuerso clero, contenta voce sic illum affatus est: nunquam ô Episcopum, istos pro arbitrio regere poteris, nisi vna eademque virga omnes coerceas. Quod eius dictum, grauem odij flamمام contra Episcopum incendit. Episcopus non multò post, complures ab ecclesia, alium ob aliam causam, eiecit. Illi vti in tam violento dominantium impetu vsu solet venire, contra eum conspirare, & apud populum falsò criminari cœperunt. Hæc, quæ de illo vulgo dicebantur, nimirum quod cum nemine cibum capere, & ad conuiuum inuitatus neutiquam accedere volebat, fidem audientibus fecerunt. Unde calumnia in eum concitata, magis magisque creuit.

T 4 Qua

S O C R A T . H I S T O R .

Qua ratione fuerit inductus , vti cum nullo cibum caperet , nemo pro certò dicere potuit . Nam alii , qui illud eius factum defendere voluerint , aiunt illum propterea seorsum per se cibum sumpsisse , quod valetudine erat imbecilla , & ægrè cibaria apposita admittebat . Alij propter nimis austera viuendi disciplinam , eum hoc fecisse afferunt . At vt cumque se res habebat , non parum ad probandum crimem illi ab accusatoribus obiectatum valere videbatur . Sed tamen populus propter conciones ab illo in Ecclesia habitas , spretis neglectisque accusatorum eius calumniis , permagno erga illum studio affectus fuit , hominemq; dilexit plurimum . Conciones verò cum ab eo ipso in lucem editæ , tum à scribis celeri & exercitata manu , illo eas è suggestu recitante , exceptæ , qualesnam fuerint , quām illustres , quāmque ad persuadendum accommodatæ , non est necesse in præsentia differere , præsertim cum omnibus copia sit eas pro arbitratu euoluendi , multumq; fructus & utilitatis ab eisdem percipiendi .

*Quod nō modo illis qui in cleri numero censemur , aduersabatur , sed optimates quoq; ipsos , & de Eutropio Eunucio . CAP . V .*

**Q**uamdiu Ioannes in clerum solum inuectus est , infidix contra illum paratæ , non multum habuere ponderis : sed cum magistratus extra modum reprehendere aggrediebatur , tum maiore inuidiæ incendio conflagrare cœpit . Et primum contra eum multa dicebantur : deinde cum eadem essent indies amplificata , tandem auditoribus fidem fecerunt . quinetiam concio in Eutropij reprehensionem ab eo habita calumniam adauxit . Nam Eutropius Eunuchus , qui Imperatoris cubiculo præfuit , & primus ex Eunuchis dignitatem Consularem ab Imperatore obtinuerat , sedulò dabat operam , vt Lex ab Imperatoribus promulgaretur , ne quisquam ad Ecclesias tanquam ad Azylum profugeret , sed vt hi , qui eo profugerant , inde abriperentur . Qua lege confessim ille ipse pœnas dedit . Nam simul atque promulgata fuit , Eutropius in offendionem apud Imperatorem incurrens , confugit ad ecclesiam . Ioannes itaq;

Epi-

Episcopus, cum Eutropius ad Basim altaris procumberet, & præmetu consternatus esset, assidens in suggestu, vnde antea, quo facilius audiretur, concionari solebat, orationem in reprehensionem eius habuit. Quia de causa nonnullorum animos admodum videbatur offendere, quod hominem acerbè afflictum non modò non commiseratus est, sed contra vehementer redarguit. Eutropium igitur consulari dignitate exornatum Imperator ob delicta quædam ab illo admissa securi percuti mandauit: & propterea eius nomen ex Consulum albo deletum fuit, & dignitatis illius titulus soli Theodooro collegæ suo ascriptus. Fertur præterea Episcopum Ioannem, etiam Gainam tum præconem liberè, ut solet, & grauiter perstrinxisse, quod non dubitarat ab Imperatore petere, vti una ex illis ecclesiis, quæ intra urbem erant, Arianis eiusdem cum illo religionis fautoribus tribueretur. Porro alios, qui in Repub. magistratus gerebant, aliis de causis cum magna loquendi libertate, quæ illi multorum peperit inimicitias, reprehendit. Vnde Theophilus Alexandriæ Episcopus, statim ut illum ordinauerat Episcopum, cœpit animo sedulò agitare, quo pacto insidias illi machinaretur. Atque ut cum nonnullis coram de hac re ex occulto egit, sic plerisque qui longo locorum interuallo ab eo aberant, per literas consilium & voluntatem suam significauit. Nam non modò incredibilis Ioannis loquendi libertas illi permultum attulit molestiæ, Verum etiam quod efficere non poterat, ut Episcopatus Constantinopolis Isidoro ipsius Ecclesiæ presbytero tribueretur. Hoc in loco res fuere Ioannis Episcopi: contra quem hominum malevolentia ab ipso primo Episcopatus sui tempore quodammodo parturire cœpit. Sed de illo plura dicemus postea.

*De Gainæ Gotthi tyrānide, & mota ab eo Constantinopoli seditione, & eiusdem interitu.*

CAP. VI.

I Stam verò rem planè memorabilem illis ipsis temporibus gestam commemorabo: ostendamque quemadmodum & ipsa ciuitas Constantinopolis, & Romanorum  
T 5 fortunæ

## S O C R A T . H I S T O R .

fortunæ, admirabili diuinæ prouidentiæ subsidio ex maximo periculo ereptæ fuerint. Sic igitur habetote. Gainas quidam genere Barbarus, Romanorumque ditioni subiectus, & militiae inter illos asiluefactus, ita creuit pedetentim, vti tandem apud Romanos, & equitum & peditum dux declararetur. Qui cum tantum principatus esset consecutus, nec seipsum noscere, nec insolentiam animi sui moderari potuit: sed omnem, vt dicitur, lapidem mouit, vt Romanos suæ potestati subijceret. Idcirco omnem Gotthorum gentem, ex ipsorum regione accersit, eos, qui ad numerū militum augendū erant idonei, retinere apud se constituit. Et quoniam Tribigildus, communione sanguinis cum eo coiunctus, militum, qui versabatur in Phrygia Tribunus erat, & de sententia Gainæ nouis rebus studebat, vniuersam præterea Phrygum gentem subiugauerat, Gainas operam dedit, vt rerum Phrygiarum administrandarum potestas ab Imperatore ei permitteretur: quam rem Arcadius Imperator nihil animo prospiciens, prompto & alaci animo illi concessit. Ille igitur exemplò ad bellum, vt ferebatur, contra Tribigildum gerendum, sed, vt res erat, ad occupandam tyrannidem iter capessit: duxit secum Gotthorum Barbarorum millia non pauca. Qui in Phrygiam ingressus, eam vniuersam subegit. Itaque Romani magna tempestate iactati fuerunt, non modo quod tanta Barbarorum multitudo se Gainæ adiunxerat, sed etiam quod partes Imperij ad Orientem spectantes, erant tanto periculo expositæ. Tum Imperator prudens consilium pro temporis ratione secutus, astutia Barbarum aggressus est. Nam missis ad illum legatis, modis omnibus eum placare studuit. Ac cum postularet, vt Imperator Saturninum & Aurelianum duos Consulares viros, ordinis senatorij facile principes, quos ipsius conatus retardaturos suspicabatur, ad eum mitteret, Imperator etsi animo inuito, necessitati tamen parens temporis, concessit. Illi vtpote pro Repub. mortem oppetere admodum cupientes, exelso & erecto animo Imperatoris mandato obtemperarunt. Proinde in planicie in qua equos ad cursum exercere solent, longè à Chalcedone, Barbaro obuiam facti sunt, ad quemcunque cruciatum subeundum parati. Verum isti ab illo

illo nihil perpessi sunt mali: atque ille rei cupidam dissimulans, Chalcedonem contendit. Ibi Arcadius ei fit obuiam. Ac cum Imperator & Barbarus simul in templo essent, in quo corpus Ephemiæ Martyris conditum & sepultum est, iuriurandum mutuo dant, se reuera, alterum alteri, non aliquando facturos insidias. Cæterum quamvis Imperator, vir qui iurisiurandi religionem, vt pote pius permagno æstimabat, iuriurandum firmè seruauit: tamen Gainas & fœdera rupit, & ab eo, quod apud animum suum proposuerat, minimè destitit, sed in vrbe Constantinopoli, & in vniuerso Imperio Romano si modò posset incendia facere, prædasq; agere cogitauit: Itaque Constantinopolis propter infinitas Barbarorum copias, quæ illam occupabant, Barbara ferè facta est: eiusq; ciues & incolæ captiuorum loco habit. Tam graue etiam imminebat periculum ciuitati, vt Cometa maximus à cælo ad terram usque peruadens (similem verò antea nemo aliquando aspicerat) illud ipsum portenderet. Gainas primum omni exuto pudore argentariorum officinas, in quibus argentum publicè vendi solet, diripere in animo habuit. Sed cum fama conatum eius ante patefecisset, quām rem aggressus sit, & argentarii propterea cauerent, ne argentum in mensis nummulariis exponeretur, ille deinde aliud facinus tentare constituit: & cum iam nox esset, Barbarorum multitudinem ad Palatium incendendum mittit. Quo quidem tempore planè constabat, quām illa ciuitas Deo curæ esset.

Nam multitudo Angelorum, qui speciem hominum armatorum corpora immani magnitudine habentium præ se ferabant, illis, qui insidias vastando Palatio parauerant, visa fuit: quos Barbaři ingentem reuera exercitum & strenuum esse suspiciati, obstupefacti sunt, indeq; se subduxerunt.

Quod, postquam Gainæ nuntiatum fuit, incredibile videbatur. Nam certò sciebat tantas copias armatas Romanorum (in singulis enim ciuitatibus separatim collocatae erant) ibi adesse non potuisse. Nocte igitur sequenti, & post etiam non semel, alios misit. Vbi vero ad eum sæpius milites eò mittentem eadem fuere relata (angeli enim Dei idem visum semper oculis insidianantium subiacerunt) tandem ille ipse cum ingenti manu profectus, illo  
de mi-

S O C R A T . H I S T O R .

de miraculo periculum facere voluit. Ac cum pro certo inteligeret militum multitudinem esse, eamque interdiu delitescere, noctu autem eius conatus resistere, callidum admodum cepit consiliū, quod ut ipse putabat, Romanis magnopere incommodaret, at, ut rei declarabat euentus, vehementer commodauit. Simulat se dæmonio agitari: & ob eā causam ad templum D. Joannis Baptiste (aberat quidem illud à ciuitate ad septimum lapidem) quasi preces ibi facturus, contendit. Proficiscuntur vna cum illo Barbari, qui arma secū clam ex vrbe partim doliis occultata, partim aliis quibusdam machinis concocta extulerant. Ac cum portarum custodes, dolo deprehenso, tela exportari prohiberent, Barbari, strictis gladiis, eos interemerunt. Inde grauis tumultus ciuitatem occupat: omnibus mors impendere videbatur. Veruntamen ciuitas, portis illius vnde firmè occlusis, communisq;; in tuto fuit. Imperator autem prudenti consilio in tempore vsus, Gainam palam hostem pronunciat: Barbaros, qui in vrbe remanebant, trucidari iubet: vniusq;; diei spatio post portarum custodes occisos interposito, milites cum Barbaris intra portas, prope ecclesiam Gotthorum (ibi enim Barbari, qui in vrbe remanserant, erant in unum collecti) manu configunt: ecclesiam incendunt: permultos illorum trucidant. Gainas, vbi eos, qui nondum erant è portis egredi, imperfectos accepit, animaduertitque fraudulentos ipsius conatus minimè ex sententia procedere, decedens è templo in partes Thraciae contendit. Et cum Cherronesum aduertaret, inde traijcere, & Lampsacum proficiisci maturat: ut partes versus Orientem usq;; ex eo loco suæ ditioni subijceret. Vbi verò Imperator copias per terram perque mare ante eius aduentum illò miserat, miraculum planè insigne diuina prouidentia illuc denuo editum fuit. Nam cum Barbari nauigis carerent, rates fabricari: inque illis transmittere cœperunt: Romanorum classis eodem ferè momento ad nauigare: Zephyrus grauiter spirare. Et ut Romani nauibus facile traicerunt: sic Barbarorum maxima pars pariter cum equis in ratibus tempestatis violentia huc illucque agitata, ab se mutuo disiecta fuit, marisque fluctibus obruta periit: nonnulli autem à Romanis demersi interierunt. Ad hunc modum itaque ingens Barbarorum

barorum multitudo illo tempore è medio sublata est.  
 Gainas verò inde digressus, & per Thraciam fugam faciens, in alias Romanorum copias forte incidit, à quibus ipse simul cum Barbaris, qui cum eo erant, interemptus est. Atque ista quidem obiter de Gaina sint à nobis commemorata. Quòd si cuiquam placet res in eo bello gestas accuratè cognoscere, legat Gainiam Eusebii Scholastici: qui eodem tempore Troili Sophistæ discipulus fuit. Iste, illius belli spectator factus, res in eo gestas quatuor libris Heroico carmine conscriptis narravit. Et quoniam recens erat rerum gestarum memoria, ideo ob illud poëma magno in honore habitus fuit. Nuper etiam Ammotius Poëta, idem argumentum carmine contexuit, & ad vndecimum cōsulatum Theodosii Iunioris, quem cum Fausto gesit, coram illo ipso Imperatore recitauit, indeq; summam laudem est consecutus. Bellum hoc finem habuit, Stelichone & Aureliano Coss. Proximo anno cōsulatum gessit Phraitus: Gotthus quidem genere, sed cum populo Romano magna benevolentia coniunctus: qui in hoc eodem bello adeò strenuè & fortiter dimicauerat, ut propterea consulatus dignitatem sit assecutus: quo quidem Coss. Imperatori Arcadio filius natus fuit, Theodosius ille bonus, quarto Idus Aprilis. Sed de his satis superque videmur dixisse.

*De schismate inter Theophilum Alexandriae Episcopum, & qui degebant in solitudine monachos, & quòd Theophilus Origenis libros anathemate damnauit.*

## CAP. VII.

DVM his procellis iactantur res Romanorum, illi, quibus sacerdotii dignitas tributa fuit, dolos contra seipso mutuò commoliri, ad insigne religionis Christianæ dedecus aggressi sunt. Etenim eodem tempore alijs eorum, aduersus alios tumultus concitare cooperunt. Quæ pestis ab AEgyptiis sumpxit initium. Causa autem talis fuit. Erat paulò antè quæstio posita, Vtrum Deus sit corpus, humanaque sit prædictus figura, an corpore vacet, &

non

## S O C R A T . H I S T O R .

non humana solum, sed omni (vt complectar breui) specie careat corporea. Ex hac quæstione contentiones & discordiae apud complures ortæ sunt, dum alij huius opinionis, alii illius patrocinium suscipiebant. Ex monachis vero imperitoribus non pauci in primis, Deum corporeum esse, & humana figura imbutum voluerunt: sed maxima pars istos condemnare cœpit, Deumque corporis expertem esse, & omni specie corporea carere afferuit. Quorum sententiæ afferunt Theophilus, Alexandriæ Episcopus: adeò vt in ecclesia coram populo eos qui Deo humanam formam tribuebant, grauiter insectaretur, eumque corpore omnino carere doceret. Quæ cum AEgyptij monachi intellexissent, relictis monasteriis, Alexandriam veniunt: contra Theophilum tumultuantur: condemnant vt impium: è medio tollere cupiunt. Quæ cum re cognita, Theophilus animo anxi & perplexo esse cœpit: rationem, qua mortem, quam illi minabantur, effugeret, excogitauit. Illis in conspectum veniens, blando sermone compellat: Hoc modo apud illos verba facit: Vos cum intueor, ipsius Dei vultum mihi videor intueri. Quibus verbis concitatos monachorum animos mitigauit. Tum illi, si vera dicas, inquiunt, Dei ipsius vultum perinde se habere, vt nostrum, Origenis libros anathemate damnato. Nam non nulli ex illis nostram impugnant opinionem. Quod si istud facere recusaueris, pœnas impiis & Dei hostibus debitas, nobis profectò dabis. Imo ego inquit Theophilus, quod vobis visum sit, faciam. Ne igitur mihi succenseatis: ego enim Originis odi libros, & qui eos probant, illos graui reprehensione dignos censeo. Itaque ad hunc modum monachorum ira repressa, eos ab se cum pace dimisit. Ac fortasse quæstio de hac re agitata, ad hodiernum diem consopita iacuislet, hisi alia de causa de integro fuisset excitata: quæ eiusmodi fuit. Monasteriis, quæ erant in AEgypto sita, quatuor pij & religiosi viri præfuerunt, Dioscorus, Ammonius, Eusebius, & Euthimius. Ipsi fratres Germani erant: atque ex procera corporum statura Longi appellabantur. Erant & ob singularem doctrinam, & ob piam viuendi rationem valde eximii: ac propterea Alexandriæ crebro hominum sermone celebrati.

Theo-

Theophilus Alexandriæ Episcopus, eos amauit plurimum, mireque coluit. Proinde unum illorum, nempto Dioscorum, quasi vi à monasterio abstrahens, Episcopum Hermopolis designauit: alios duos obsecravit, ut ætatem simul cum ipso agerent. Et cum verbis ægrè illis persuadere posset, autoritate tamen, vt pote Episcopus, illud facere compulit: ac primum dignitate clericorum eos coherestare, deinde administrationem ecclesie illis concredere cœpit. Hi tametsi necessitati parebant, ecclesiæque munera sedulò procurabant, tamen graui premebantur ægritudine, quod non in monastica vitae disciplina defixi, vt volebant, in veræ sapientiæ studium incumbere poterant. Posteaquam tempore progrediente, animos suos lœdi putabant, animaduerterebantque Episcopum vitam in pecunia facienda conterere, & toto pectore (vt dicitur) in ea quaerenda laborare, noluerunt amplius cum eo versari: sed se solitudinem amplecti, eamque vitae Urbanæ longè anteferre dixerunt. Theophilus, quamdiu causæ ignarus fuit, cur re vera discedere cuperent, eos vti cum ipso manerent vehementer orauit: sed vt primum ipsius vitæ modum ab illis condemnatum intellexit, graui ira accensus, se illos maximis affecturum incommodis minatus est. Vbi illi eius minas contemnebant, & se in solitudinem receperant, Theophilus natura, vt videbatur, feruentior, non exiguum tumultum contra illos concitauit: itnò verò modis omnibus operam dedit, vt illis insidias tenderet. Quinetiam illorum fratrem Dioscorum, Episcopum Hermopolis, odio habere cœpit. Nam erat illi permolestum monachos tantoperè Dioscoro fauere, tantaque illum reuerentia obseruare. Et quoniam intelligebat se non posse illos pios viros vlla ratione lœdere, nisi monachorum animos, quibus præerant, ab illis abalienaret, hac via eos aggressus est. Pro certo nouit, eos persæpe cum illo verba facientes asseruisse: Deum corporis expertem esse, minimeque figura humana præditum. Nam si esset humana specie imbutus, necessariò sequi eum posse humano more & modo pati: illudque cum ab aliis veteribus scriptoribus, tum ab Origine in primis accurate disputatum esse. At Theophilus, quanquam eam de Deo opinio-

## S O C R A T . H I S T O R .

opinionem ipse tenebat , tamen , quo inimicos vlcis-  
teretur , synceram sanamque eorum doctrinam oppugnare  
non dubitauit , Imò verò complures monachorum , ho-  
mines simplices & synceros quidem , sed in doctrina tu-  
des , multos etiam literarum omnino expertes in suam sen-  
tentiam rapuit , misit enim ad monasteria in solitudine  
sita quosdam , qui monachos docerent non parendum  
esse nec Dioscoro , nec eius fratribus , qui tradebant  
Deum corpore vacare . Nam Deus , inquit , vti ex sa-  
cbris literis constat , Oculos , aures , manus , & pedes ha-  
bet , sicut homines . Dioscorus autem eiusque sectato-  
res , qui Originem sequuntur nepharium dogma indu-  
cunt , negant enim Deum oculos , aures , pedes , & ma-  
nus habere . Hac callida & fallaci captione permul-  
tos monachos in suam pertraxit sententiam : & ardens  
seditionis flamma inter eos incensa est . Nam qui men-  
tem habebant satis exercitatam , illi ea fallacia minimè à  
veritate abrepti fuerunt , sed Dioscori & Origenis sen-  
tentiae assensi sunt : qui autem erant simpliciores (atque  
hi quidem numero fuere plures) æmulationis æstu in fra-  
tres inflammati ab illorum opinione protinus descierunt  
Itaque diuisio inter eos facta est , & alij aliquos tanquam im-  
piè sentientes , contumeliose vexarunt . Et qui Theophi-  
lo adhærescebant , fratres suos Origenistas , impiosque  
vocare : alij contra eos , qui sententiæ obsequebantur The-  
ophilii , Antropomorphianos , id est , qui Deo humanam fi-  
guram attribuunt , nuncupare cœperunt . Vnde inter Mona-  
chos & dissensio non parua , & quasi bellum pestiferum or-  
tum est . Theophilus autem , vbi intellexit id , quod apud  
animum proposuerat , ex sententia procedere , cum homi-  
num manu Nitriam , Vbi monasteria sunt , contendit , mona-  
chosq; tum contra Dioscorum , tum contra eius fratres ar-  
mat . Illi in graue vitæ discrimen vocati , Vix effuge-  
runt incolumes .

De con-

*De conuentibus & nocturnis Arianorum, & consubstantiale profitentium, hymnis, & mutuo illorum conflictu, & quod Antiphonarum conatus, à diu Ignatio institutus fuerit.*

## CAP. VIII.

Starum rerum in AEgypto gestarum Ioannes episcopus Constantinopolis omnino ignarus fuit, qui id temporis & doctrina multum excelluit, & ob eam in magna apud omnes gloria fuit. Ille ipse precationes, quæ noctu fieri consueuerant, primus amplificauit, tali causa inductus. Ariani extra urbem, ut diximus, conuentus fecerunt. Itaque cum festa cuiusque septimanæ occurrabant, videlicet Sabbathum, & dies dominicus, in quibus conuentus in ecclesijs fieri solent, illi intra portas ciuitatis circiter porticus in unum congregati, cantus apte ad opinionem Arianam respondentes, quos ipsi composuerint alterhatim canunt. Hocq; per maiorem noctis partem faciunt. Primo diluculo, tales cantilenas alternis per medium urbem recitantes, è portis egrediuntur: & ad loca vbi agunt conuentus, contendunt. Verum quia aduersus fidei Consumentialis fautores, verba contumeliosa, quibus eorum animos irritarent, dicere non desinebant (nam sëpe hanc quasi cantilenam in eos cecinere: Vbi sunt hi, qui tria vnam dicant esse potentiam?) Ioanes veritus, ne aliquis ex simplicioribus eiusmodi cantibus ab ecclesia abduceretur, quosdam ex suo populo illis contra comparauit, qui nocturnis hymnis decantandis similiter operam darent, Arianorumq; in ea re studium eo pacto reprimerent, denique suos in ipsorum fide admodum confirmarent. At quamuis hoc Ioannis institutum valde cominodum videretur, tamen illius eventus tumultu atque etiâ periculo nô caruit. Nam vbi hymni in consubstantialis laude tandem decantati, propter concentum illum nocturnum multò plus dignitatis sunt consecuti (erant enim cruces argenteæ excogitatæ, quibus lucernæ cereæ imponebantur, sumptu Eudoxiæ Imperatricis suppeditatae) turba Arianorum coacta, & æmulationis ardore incæsa, se vlcisci, & cum aduersariis configere instituit. Etenim principatu illo, quem iam pridem obtineuerant, elati, erant ad pugnam

## SOCRAT. HISTORIAE

multo ardentiores: defensoresq; fidei cōsubstantialis prorsus contemnebant. Quare nulla interposita mora, nocte qnadam tumultum faciunt. Crifon Imperatricis Eunuchus, qui partes canentium hymnos ad commendationem fidei Consustancialis tuebatur, lapide in fronte percutitur. Interierunt etiam vtriusq; partis nonnulli de populo. Quibus rebus Imperator admodum commotus, Arianis interdixit, ne hymnos in publico cantarent. Atque hēc quidem hoc modo gesta sunt. Iam verò dicamus, vnde consuetudo hymnorū, qui in ecclēsia alternis decantantur, initium cōperit. Ignatius Antiochiae, quæ est in Syria, tertius à Petro apostolo episcopus, qui cum Apostolis ipsis multum versatus est, visionem vidit angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium: & formam canendi in ea visione expressam ecclēsiae Antiochenæ tradidit. Vnde illa traditio in omnibus ecclēsias recepta est. At de hymnis alterna vice cantatis ista haētenuis.

*De monachis qui Longi nominabantur, & quod propter eos odio implacabili Theophilus in Ioannem exardescet, illūq; abdicare conatus est, & quod Epiphanius Cyprī episcopus Theophili, dolis circumventus, congregato Cyprī Concilio, ac libris Origenis ibi condemnatis, Ioannē propter usum librorum Origenis reprehendit.*

CAP. IX.

**N**O N longo téporis spatio interposito, Monachi una cum Dioscoro, & eius fratribus ex solidudine Constantinopolim aduentant. Quibus cum accessit etiam Isidorus Theophilo iam olim amicissimus, tunc tamē inimicissimus factus, idque ob hanc causam. Theophilus, aduersus Petrum quendam primarium ecclēsiae Alexandrinæ presbyterum grauiissimo odio inflammatus, eū ecclēsia expellere cogitauit, eiq; istud obiectauit crīmē, quod mulierē sectæ Manichææ ante ad sacra mysteria admiserat, quā illam ab errore Manichæorum auertisset. Verūm ubi Petrus docuerū

cuerat se mulierem ab illa secta traduxisse, eamq; de sententia Theophili in ecclesiam recepisse, Theophilus in quo animo tulit perinde ac si calunijs à Petro fuisse appetitus. Nam dixit sc̄ facti illius omnino fuisse ignarum. Idcirco Petrus Isidorum testem aduocauit, Episcopum Theopilum non ignorasse, quod de muliere factū esset. Eodem tempore Isodorus Romæ yrbis primariæ versabatur, à Theophilo ad Damasum episcopum Romanum missus, vt Flauianum episcopum Antiochiae, cum illo in gratiam reduceret. Nam omnes, qui fauebant Meletio, cum Flauiano propter iusfrandum, vt à me supra declaratū est, discordarunt. Isodorus igitur Roma reuersus, & à Petro ad testimoniū dicendū vocatus, affirmauit mulierē sectæ Manichææ de sententia episcopi Theophili in ecclesiā receptā fuisse, eumq; ipsum mysteria ei impertiuisse. Itaque Theophilus iracundia exardescens, præ vesania vtrumq; ab ecclesia exturbauit, Atquē hæc causa fuit, cur Isodorus cum Dioscoro Constantiopolim acceperit: vt nimirum coram Imperatore & Ioanne episcopo, insidiæ contra illos à Theophilo paratae, perspicue aperirentur. De quibus Ioannes certior factus, viros illos honorifice excepit, precumque participes esse permisit: sed communionem mysteriorum illis se minime prius concessurum dixit, quām eorum causa cognita & accusatè disceptata esset. Cūn res in hunc locum erat deducta, falsus rumor ad aures Theophili perlatus est, Ioannem eos ad mysteria admisisse, illisque auxilium ferre paratum esse. Quapropter Theophilus omnibus, vt dicitur, opibus viribusque conniti cœpit, vt non modò Dioscorum & Isidorum vlcisceretur, verū etiam Ioannem de sede episcopali deiiceret: & propterea literas ad episcopos cuiusque ciuitatis mittit: atque illo, quod animo intendebat, occultato, Origenis libros, quorum testimonii Athanasius ante eius etatem in orationibus suis contra Arianos sæpenumero usus fuerat, solum arguere videri voluit. Quinetiam cum Epiphanio constantiæ yrbis Cypri episcopo, à quo ante dissenserat, amici tie foedera iunxit. Nam illum, vtpote nimis humili ter & abiecte de eo sentientem, humanamque figuram ei tribuentem Theophilus iam pridem accusauerat. Et

v 2 quanquam

## SOCRAT. HISTORIAE

quanquam Theophilus hanc de Deo tenebat opinionem, & eos, qui Deum humana forma induitum censébant, insimulabat, tamen propter odium, quod in alios conceperat, palam quę animo sentiebat, verbis denegauit: Epiphaniūq; a quo ante dissenserat, tum perinde ac si pœnitentia adductus, idem cum illo de Deo sentiret, amicum sibi reddidit, concilium eius subsidio episcoporum in Cypro ad Origenis libros refellendos explodendosq; cogere instituit. Epiphanius verò propter pietatem eximiam, & sinceram ac simplicem morum ingenuitatem, Theophili literis facile ad id faciendum inductus fuit. Concilio igitur episcoporum illius insulę cuōcato, sancit, ne quis Origenis libros legat: Quinetiam literas ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum dat: quibus eum hortatur, ut à libris Origenis perlegendis abstineat, congregetque conciliū, & eam rem communibus suffragiis confirmet. Itaq; Theophilus, ut primum Epiphanium virum ob pietatem percelebrem in suam sententiam rapuerat, intellexeratque institutum suum & cōnatū ex sententia procedere, animo confidenti ipse etiam multos episcopos in vnum cogit: simili ratione cum Epiphanio libros Origenis, qui ante annos circiter ducentos mortuus erat, condemnat: non quod hoc potissimè sibi erat propositum, sed quod Dioscorum & fratres eius vlcisci contendebat. Ioannes autem de illis, quae erant ipsi ab Epiphanio & Theophilo per literas significata, parum laborans, ad ecclesias doctrina instituendas omnes suas cogitationes conuertit, inquę ea re admodum excelluit: insidias verò contra ipsum paratas penitus contempſit. Simul atque vulgo perspectum & cognitum erat Theophilum omnes neruos contendere, ut Ioannem de episcopatus gradu deturbaret, nonnulli, quibus Ioannes erat inuisus, illi insidiari, falsaque crima contra eum confingere aggressi sunt, Ac multi ex clero, complures etiam ex magistratum numero, qui apud Imperatorem gratia plurimum poterāt, rati se iam tempus idoneum nactos, quo se de Ioanne vindicarent, Constantinoli maximum Concilium episcopis, partim per literas, partim per interternuntios accersitis, congregare instituerunt.

De Sehus

*De Seueriano & Antiocho Syris, & quo pacto qui-  
busq; de causis à Ioanne discesserint.*

CAP. X.

**O**Dij porrò flammar contra Ioannem incensam alius quidam casus vehementer auxit: is fuit eiusmodi.

Duo episcopi, genere Syri, Seuerianus scilicet & Antiochus eodem tempore floruerunt: quorum ille ecclesiarum Gabalorum, quae est urbs Syriæ, hic ecclesiarum Ptolemaidis, quae est in Phœnicia, præfuit. Ambo quidem in dicendi facultate benè educati instructiq;: At Seuerianus, & si doctus videbatur, tamen linguam Græcam non adeò scitè distin-  
cteque pronunciauit, sed Græcè locutus est ut Græcus: ut Syrus autem pronuntiauit. Antiochus primum Ptole-  
maide Constantinopolim accedens, ibi ad tempus summa cum diligentia in ecclesiis docuit: atque vbi multū quæstus inde fecisset, ad suam ipsius reuertit ecclesiam. Seuerianus posteaquam audiuerat Antiochum Constantinopoli in ec-  
clesiis docendo magnam pecuniæ vim collegisse, permagno eiusdem rei facienda studio incendi cœpit. Itaque cum se sedulò exercuerat, multasque contexuerat conciones, Cō-  
stantinopolim ipse etiam contendit. Ibi à Ioanne amicè & beueuole exceptus, ad aliquod temporis spatium se ad voluntatem Ioannis astutè accommodauit, eiique affenta-  
tatus est. Qui & amari plurimum, & in magno honore ha-  
beri cœpit: atque ut in docendo inultum laudis acquisiuit,  
sic & apud Optimatum plerosq;, & apud ipsum Imperato-  
rem in magna gratia fuit. Interea temporis quoniam epis-  
copus Ephesi fortè è vita migrauerat, Ioannes Ephesum proficiisci ad episcopum ibi designadum necessariò coactus fuit. Qui cum eo aduentaret, & alij alium ad illum dignita-  
tis gradum uehementer laborarent, acriterque & acerbè inter ipsos contenderent, dum singuli ei, cui fauebant, suffra-  
gari nitebantur, vtramque partem graui contentionis ar-  
dore accensam, eiusque hortatione minimè velle obsequi  
animaduertens, operam dedit, vti contentionem sine vtri-  
usque partis offensione sedaret. Itaque Heraclidem quen-  
dam, sui ipsius Diaconum, genere Cyprium, ad episcopatus illius dignitatem extulit. Sic vtraque pars placata, à mutua-

## SOCRAT. HISTOR.

cōtentione destitit. Ob hanc causam Ioannes Ephesi diū necessariō commoratus est. Dum ille ibi morā faciebat, Seuerianus Cōstantinopoli audi torū animos ad maiorē erga ipsum benevolentia allexit. Istarū rerū Ioánes haud ignarus fuit: quippe illi actutum denuntiatæ fuerunt. Cū autē Serapiō, cui⁹ ante feci mentionē, Ioáni suggereret, significaretq; ecclesiam à Seueriano admodū perturbari, ille emulationis æstu flagrare cœpit. Itaq; vbi quasi ab eo, quod instituerat, paululū digressus, tū Nouatianis, tū illis qui festū Paschatis decimo quarto die mensis primi celebrandū censembarū, multas ecclesias ademerat, Constantinopolim reuerit: seseq; ad ecclesiārū procurationē, sicut eius munus postulabat, retulit. Cūq; insolens Serapionis fastidiū, & arrogantiā nemo ferre posset (Ioannis nāque Episcopi gratia fretus, adeo magnos animos sumpsit, vt extra modū omnes contumeliose infesta retrū) ob eā causam odiū contra episcopū inflammātū magis magisq; exarsit. Quinetiam cū Seuerianus quodā tempore ad locū, vbi Serapion erat, accederet, Serapion honorem episcopo debitum, illi non tribuit, neque ei aslurrexit. Vnde Seueriani præsentia se parui facere declarauit. Hunc Serapionis cōtemptū Seuerianus nō tulit: immo verò etiā vehementer in eum vociferatus est his fere verbis: Si Serapion moriatur Christianus, Christus certe nūquam homo factus est. Serapion, hac arrepta occasione Seuerianū Ioanni aperte fecit inimicū, dū prius sententiæ membrū supprimeret, unīmirū. Si Serapion moriatur Christianus, & posterius, népe Christus certè nō homo factus est, Seuerianū dixisse affirmaret. Itaque sui loci atque ordinis homines testes adducit, illud à Seueriano dictum esse. Quapropter Ioannes, abiecta omni cunctatione, Seuerianum ē ciuitate exigit. De quibus rebus Eudoxia Augusta certior facta, & Ioannē incusat, & Seuerianū Chalcedone Bithyniae properè accersendum curat. Ille quām primū redit. Ioannes se ab eius amicitia remouet: nec cuiq; illum, vt cum Seueriano rediret in gratiā, cohor-tanti morem gerere voluit. Tandem vbi Imperatrix Eudoxia in ecclesia, quæ apostolorum nomine nuncupata est, filium suum Theodosium iam tum Imperij statū quamquam admodum adolescens erat, prosperè & feliciter gubernantem, ad genua Ioannis abiecit, & sancte illum obtestata est, vix adduci

adduci poterat, ut Seueriani amicitiam amplexaretur. Verum tametsi hoc pacto amicitia inter eos, specie quadam externa videbatur reconciliata, nihilominus tamen animum, alter versus alterum exulceratum retinuerunt. Causa itaq; cur Ioannes Seueriano succenseret, eius generis fuit.

*Quod Constantinopolim cum venisset Epiphanius,  
conuentus & ordinationes (ut apud Theophilum  
gratiam iniret) preter Ioannis voluntate instituit*

CAP. XL.

NON longo tempore post, Epiphanius episcopus, Theophilus suau ex Cypro Constantinopolim venit, eoque secum attulit decretum Episcoporum, quod non ipsum excommunicauit Origenem, sed libros eius duntaxat condemnauit. Itaque vbi ad templum domini Ioannis, quod extra ciuitatem ad septimum lapidem situm est, accessit, Synaxi celebrata, & ordinato diacono exit e templo, & ciuitatem ingreditur. Cumq; a Ioane inuitaretur, vt ad se diuerteret, ille, quo gratificaretur Theophilo, recusauit, & in separato quodam hospitio diuersatus est. Episcopis autem, qui ibi forte tum versabantur, conuocatis, decretum, quod libros condemnabat Origenis, legit. De illis nihil equidem habeo dicere, sed hoc dico, visum fuisse Epiphanio & Theophilo eos condemnare. Ex episcopis nonnulli, qui Epiphanius reuerebantur, illi decreto subscripti sunt: cum plures vero illud facere renuerunt. Ex quorum numero fuit Theotimus, episcopus Scythiae, qui Epiphanio ita respondit. Ego, Epiphanus, neque hominem iam olim mortuum contumelia afficere volo, neque facinus tam nefandum aggredi audeo, vt eos condemnem libros, quos maiores nostri neutquam condemnarint: præsertim cum nullam doctrinam in illis comprehensam intelligam. Itaq; libro quodam Origenis allato, eum legit, scripturæq; interpretationes fidei Ecclesiæ congruentes, quæ in eo cotinebatur, ostendit. Deinde adiunxit haec verba: qui ista contumeliis afficiunt, illi eas res contumeliis imprudentes afficiunt, de quibus libri ipsi coascripti sunt. Haec quidem

v 4

Theo-

SOCRAT. HISTOR.

Theotimus, vir ob pietatem & rectam viuendi ratione multorum sermonibus celebratus, Epiphanio respondit.

*Cuiusmodi scriptor hic pro defensione Origenis commemoret. C A P. XII.*

**Q**uoniam quidem complures obtrecentorum impulsu, tanquam vento repentino ad Origenem contumelias vexantur praecepites feruntur, non incommode erit, pauca de illis differere. Homines obscuri abiectiones, qui nihil ex se habent, quo nomen suum illustrari possint, ex virorum ipsis longe praestantiorum vituperatione, se nobilitare contendunt. Istud primum Methodio, episcopo Olympi, urbis Lyciae accidit; deinde Eustatio, qui ad tempus ecclesiae praefuit Antiochenus: Apolinario postea; ad extremum Theophilo. Hic maledicorum, ut ita dicam, quaternionio, Origenem falsos accusare coepit, non eadem causa omnes impulsu. Nam alius alia de re crimen illi intendit: unde singuli separatim omnibus perspicue declararunt, se illa omnia omnino in eo approbare, quae ipsis non nominatim coarguissent. Nam quoniam alius aliud dogma sigillatim reprehendebat, perspicuum est singulos illud tacitos secum omnino habuisse pro vero, quod minimè insectati sunt: & id ipsum re ipsa approbase, quod non verbis exagitassent, Methodius, et si fere multumque; initio in Origenem inuestitus erat, postea tamen quasi ad palinodiam se reuocans, illum in dialogo, quem Zenonem inscripsit, summis laudibus extulit, Illorum vero vituperatio, mea quidem sententia, Origenis commendationem magnoperè amplificauit. Nam qui ei, sicut ipsi putabant, crimina digna reprehensione inferebant, hi quidem cum eum quasi male de sancta Trinitate sentientem minimè accusent, evidenter suis ipsorum testimonij ostendunt eum rectam sinceramque fidem habuisse. Atque ut isti, quod eum hac in re accusare non possunt, integræ eius fidei testimonium impariunt: Sic Athanasius acerrimus Consubstantialis fidei propugnator, in orationibus suis, quas contra Arianos conscripsit, illum suæ fidei testem citat, eius verba in sua ipsius scripta inserit, siveque de eo loquuntur: Admirabilis ille & summæ industrie vir Origenes, nostram de filio Dei opinionem suo testimonio confirmat;

quippe



quippe illum patri coæternum esse afferit. Quocirca qui Origenem maledictis figere student, Athanasium etiam, eius laudatorem imprudentes contumeliosè infestantur. Sed de Origine hæc quidem hoc loco commemorata sint. Deinceps ad historiam redeamus.

*Quod Ioannes ad se Epiphanium vocauit, qui cū non obsequeretur, imo potius in ecclesia apostolorū conuentu celebraret, per iurgiū illi significat, multa ab eo contra canones facta esse, unde Epiphanius metuens sibi, in patriā reuersus est. C A P . X I I I .*

Ioannes minimè iniquo animo tulit Epiphanium contra canonem in eius ecclesia Diaconum ordinasse, sed obsecravit, ut cum illo in ædibus episcopi diuersari vellet. At ille, nec tecum, inquit, diuersari, nec simul preces facere volo, nisi Dioscorum cum fratribus è ciuitate expellas, tuq; ipse decreto, quo Origenis libri condemnantur, subscribas. Cum Ioannes ista facere tardaret, diceretq; non oportere ante generalem de ea re disceptationem inquisitionemq; habitam quicquam temerè & inconsulto statuere, Ioannis aduersarij Epiphonium ad illud institutū aggrediendum impellunt. Nam cum Synaxis in ecclesia apostolorum nomine nuncupata celebraretur, Epiphanium in medium prodire faciunt: Origenis libros coram vniuerso populo damnare: Dioscorum cum fratribus excommunicare: Ioannem denique, quod ex illis stabat, grauiter perstringere. Ioannes, cum hæc illi nuntiata essent, postero die Epiphanio in ecclesia iam versanti ista per Serapionem significat multa contra Canones agis Epiphani: primum quod ministros Ecclesiæ ordinas in ecclesiis, quæ sunt in mea Diœcesi: deinde quod antè, quām erat tibi à me potestas permisla, tua ipsius autoritate sacra mysteria celebraisti: contra, cum eras à me ad ea inuitatus, reuisti: ac rursus iam tibi ipse facis potestatem. Vide igitur ne si tumultus ob eam causam in populo oboriatur, periculū inde in tuum ipsius caput redundet. Quæ cum Epiphanius audiisset, perculsus metu, decedit ab ecclesia. Vbi Ioannem grauiter incusauerat, Cyprum nauigare maturauit. Tradūt quidam illum, cum nauem esset iam consensurus, ista Ioāni

S O C R A T . H I S T O R .

prædixisse: Spero te minimè moriturum episcopum: Ioanné illi contra sic respondisse: Spero te in patriam minimè peruenturum. Ista vtrū verè dixerint, qui ea mihi narrarunt, nō habeo quidem dicere: sed tamen vtrique euenit, sicut alter alteri prædixerat. Nam neque Epiphanius ad Cyprum peruehit (in nauigio enim eo proficisciens mortem obiit) & Ioannes paulò post de sede episcopalī, vti deinceps docebimus, deiectus est.

Quod post abnegationem Epiphanij, cum Ioannes orationem aduersus mulieres habuisset, ob quā contra illum in urbe Chalcidonēsi, opera tum Imperatoris, tum Imperatricis concilium celebrabatur ecclesia expellitur, & quod populus cum tumultuaretur propter Ioannis discessum Briso Imperatoris Eunuchus mittitur, illum rursus Constantinopolim reducturum.

C A P . X I I I .

**V**T primum Epiphanius abnauigauerat, Ioanni nuntiatum fuit, Imperatricem Eudoxiam Epiphaniū cōtra illum armasse. Ille vt pote natura paulò ardenter, & in dicendo exercitatus promptusq;; sine mora apud populum concionē, qua oēs mulieres acerbē exagitabat, pro suggesto habuit. Multitudo eam rapit in deteriorem partem, tanquam ænigma contra Imperatricē elatū. Concio igitur à meleuolis arrepta, ad Imperatorem defertur: de qua Augusta quoq; certior facta, cœpit apud Imperatorem cōqueri, se contumelia affectam: quam contumeliam ad eius etiam ignominiam recasurā dixit. Proinde per Theophilū parat, ut concilium contra Ioannem cogatur. Idem etiam molitur Seuerianus, Adhuc enim versus Ioannem in eius animo refedit offensio. Non longo temporis spatio interposito, eo aduentat Theophilus: multos ex variis ciuitatibus episcopos accersit, idq; ex Imperatoris mandato. Itaq; illi eo potissimum confluxere, qui contra Ioānem, alius alia de causa similitatem gerebant. Aduentarunt etiā, quos Ioannes Episcopatus gradu, & honore abdicauerat. Per multos enim episcopos, quando Ephesum ad Heraclidem episcopum ibi ordinandum proficiscebatur, in Asia abdicauerat. Quare omnes

omnes vno cōsensu Chalcedonē, vrbē Bithyniē, cōmeant.  
 Id temporis Cyrinus AEgyptius genere, Chalcedonis epi-  
 scopus, Ioannem apud episcopos maledicē infectatus est,  
 eumq; impium, arrogantem, & contumacem appellauit.  
 Ex quibus verbis episcopi non parum percepēre volupta-  
 tis. Maruthas verò episcopus Mesopotamiæ, inuito sane  
 animo, pedem Cyrini presso forte vestigio oblæsit. Vnde  
 Cyrinus acerbè excruciatus, cum cæteris episcopis Con-  
 stantinopolim proficiisci non potuit, sed mansit Chalcc-  
 doni: alii Constantinopolim traiecerunt. Cum Theophi-  
 lo nemo ex clero Constantinopoli obuiam procederet,  
 neque honorem confuetum deferret, (de cætero enim om-  
 nibus cœpit inuisus esse) turba nautarum Alexandrinorū  
 (ibi namque nauigia eorum, quæ eò aduixerant fru-  
 mentum, tum forte fortuna aderant) illi fit obuiam, eumq;  
 lætis acclamationibus excipit. Ille in ecclesiam ingredi  
 noluit, sed ad çedes Imperatricis quę Placidianę vocatur,  
 diuertit. Tum quidem Ioannis aduersarii eum multis cri-  
 minibus circumuenire cœperunt: de Origenis libris nul-  
 lam amplius faciunt mentionem: sed ad alias absurdas ca-  
 lumnias se conuertunt. His rebus ita comparatis, episco-  
 pi in suburbio Chalcedonis, quod Quercus dicitur, in  
 vnum conueniunt: illò confestim Ioannem, vt criminib-  
 us sibi obiectis responderet, accersunt. Serapionem præ-  
 terea, Tigrim Eunuchum presbyterum, & Paulum lecto-  
 rem (isti enim simul cum eo erant in crimen vocati) vna ac-  
 cedere iubent. Vbi verò Ioannes eos, qui eum accersuer-  
 ant, tanquam inimicos à suæ causæ disceptatione exce-  
 perat, & ad generale concilium prouocarat, illi absque mora,  
 quater illum accersuerunt. Quem quidem cum ac-  
 cedere nollet, idemq; semper responsum daret, commu-  
 nibus suffragiis condemnarunt: abdicarunt episcopatu, idque cum nullum aliud crimen illi obiectare possent, præ-  
 terquam quod accersitus non obtemperauerat. Quæ  
 res Constantinopoli sub vesperum nuntiata, multitudi-  
 nem ad maximam seditionem concitauit. Atque tota no-  
 te excubantes, illum ab ecclesia abstrahi neutiquam  
 passi sunt, sed sublata voce clamarunt eius causam de-  
 bere in maiore Episcoporū concilio disceptari.

Verūm

## SOCRAT. HISTOR.

Verum Imperatoris mandato, edictum fuit, ut quam primus exturbaretur, abducereturque in exilium. Quare cognita, Ioannes triduo post eius abdicationem circiter meridiem, aduersarij manibus clam multitudine (cauebat enim ne propter ipsum tumultus concitaretur) se ipsum ultrò obtulit: sic igitur abducitur. In populo autem immensa seditionis flamma incenditur: atque ut in eiusmodi tumultibus versusuuenire solet, complures, qui erga illum ante infenso & inimico animo fuerant, tum quasi mutata sententia, eum commiserari cæperunt: & qui paulo ante cum abdicatum videre cupiebant, tum falsis criminibus circumuentum prædicabant. Itaque complures tum contra Imperatorem, tum contra concilium episcoporum vociferati sunt: contraque Theophilum potissimum, quem criminationis in Ioannem confiteæ authorem existimarent. Nam insidiæ, quas Ioanni parauerat, amplius in obscurò latere non poterant. Et quamvis multis alijs argumentis perspicue deprehendebantur, tamen vel maximè ex eo, quod cum Dioscoro, & eius fratribus, qui Longi dicebantur, statim post Ioannis abdicationem comunicauit. Tum Seuerianus in ecclesia docens, tempus sibi oblatum putauit, quo in Ioannem opportune inuehernetur: & ob eam causam palam dixit illum, licet nullius alterius criminis esset conuictus, iure propter insolentes & superbos mores abdicatum esse: omnia enim peccata hominibus condonari, sed Deum, ut sacræ literæ docent, superbis resistere. Quæcum dixisset, multitudo fuit ad grauiorem seditionem inicitata. Qua de causa sine mora Imperator Ioannem Constantinopolim reuocandum curauit. Idcirco Briso Imperatricis Eunuchus ea ob causam missus, in Preneto (est hoc quidem emporium è regione Nicomediæ situm) eum offendit: reducitque Conitantinepolim. Verum quamuis hoc modo esset reuocatus, non tamen prius in urbem ingredi, quam coram maioribus iudicibus innocens probatus esset, sed in suburbio, quod Marianæ dicitur, ad tempus permanere constituit. Cum autem moram ficeret, nec ad ciuitatem vellet redire, multitudo indignè & grauijer ferens, protinus eos, penes quos imperium erat, maledictis vexauit. Quapropter necessitate adductus ad urbem reuertitur. Multitudo prodit illi obuiam: cum summa reverentia

uerentia ad ecclesiam rectâ deducit: orat, vt sedem episcopalem capessat, moreque consueto, pacem populo prece-  
tur. Cum ille recusaret, diceretq; hoc non ante faciendum  
esse, quâm tum causa eius iudicio esset disceptata, tum hi,  
qui ipsum condemnarant, mutata sententia absoluenter,  
magis incendi cœperunt: tanta enim cupiditas eū cum in sede  
collocatum videndi, tum de integro concionantem audi-  
endi illam incesserat. Itaque populi impulsu res sic confe-  
cta est. Cùm Ioannes esset in sede episcopali locatus, & de  
more pacem populo precatus fuisset, coactus necessitate,  
etiam concionatus est. Quæ res aduersariis alterius crimi-  
nationis materiam suppeditauit. Verum ad tempus illam  
consopitam iacere pafsi sunt.

*Quod Theophilus cum absentis Heraclidis causam  
examinari Ioanne reclamante volnisset, concur-  
rentibus ad arma mutuò ciuibus Constantinopo-  
litanis, Alexandrinisq; plures virinque cecide-  
runt, hinc Theophilus, & episcoporum plerique  
alii timore perculsi, relicta ciuitate aufugerunt.*

CAP. XV.

**I**Nterim Theophilus callidè molitus est, vt de Heracli-  
dis ordinatione primū quereretur: quò ansam arripere  
ad Ioannē denuo, si fieri posset, abdicandum. Heraclides igitur, tametsi non aderat, in iudicium tamen adduci-  
tur: quosdam iniustè verberasse, constrinxisse vinculis, de-  
nique per mediam urbem Ephesiorum ad ignominiam du-  
cendos curasse accusatur. Cùm igitur Ioannes responde-  
ret, non oportere de absentibus iudicium fieri, Alexandri-  
ni pertinaciter instabant accusatores Heraclidis recipien-  
dos esse, etiam si illum absentem accusarent. Vnde grauis  
seditio concertatioque inter Constantinopolitanos, & A-  
lexandrinos conflata est. Ac dum manu configitur, multi  
sauciati, nonnulli etiam interficti fuere. Quibus rebus cog-  
nitis, Theophilus absque mora Alexandria profugit. Idem  
etiam alij Episcopi fecerunt, paucis exceptis, qui Ioannis  
partes tuebantur. Omnes ad suas ipsorum sedes se properè  
recepérunt. His rebus gestis, Theophilus in omniū offen-  
sionem

SOCRAT. HISTOR.

sionem incurrit. Odium contra illum inde etiam crevit, quod libros Origenis studiosè legere non vereretur. Rogatus igitur à quodam, cur libros, quos condemnauerat, de integrō amplexaretur, respondit, libros Origenis similes esse prato omnibus florum generibus referto. Idcirco, inquit, si quid reperio in illis boni, illud decerpo: si spinosi quicquam, hoc, utpote aculeis pungens, missum facio. Hæc respondit Theophilus, non complexus animo illud Salomonis: quod verba Sapientum sunt tanquam stimuli. Et qui præceptis in illis comprehensis punguntur, non debent ex aduerso calcitare. His de causis Theophilus omnibus inuisus & odiosus fuit. Dioscorus Hermopolis Episcopus, unus è numero monachorum, qui Longi vocabantur, breui, postquam Theophilus Alexandriam profugerat, abiit è vita: sepulchroque honorifico in templo, quod est apud Quercum, ubi concilium propter Ioannem coactus erat, potitus est. Ioannes in docendo, se totum defixit: Serapionem, cuius causa odium in ipsum fuerat ante incensum, episcopum Heracleæ, viris Thraciæ designauit.

*De argentea Eudoxiæ columnâ, & quod propter hanc Ioannes rursus ecclesia ejectus, in exiliu abductus est.*

CAPVT XVI.

**H**AUD diu post, ista etiam sunt consecuta, Statua argentea lana circumiecta, Eudoxiæ Augustæ super columnam ex Porphyrite factam erecta fuit. Hæc in edita basi neque valde propè ecclesiam, quæ Sapientia dicitur, neque longe admodum collocata, sed inter ecclesiam & statuam platæa solum media interiecta fuit. Ibi ludi populares ut moris est, celebrari cœpti sunt. Ioannes igitur has res ad ecclesiæ dedecus redundare arbitratu, pristina sua loquendi libertate recuperata, linguam contra eos, qui earum authores erant, exacuit: & prohortatione, qua ad principum animos flectendos vti debuerat,

isset, falsè eos, qui eas res fieri mandauerant, cauillatus est. Imperatrix rursus hęc in scipsum transfert, & illius verba quasi ad eius ignominiam elata existimans, aliud concilium episcoporum contra eum cogendum curat. Quare intellecta, Ioannes percelebrem illam concessionem in ecclesia recitauit, cuius exordium est: Herodias denuo insanire, denuo commoueri, denuo saltare pergit: denuo caput Ioannis in disco accipere quærerit. Hęc concilio Imperatricis iram contra eum multo magis inflammauit. Post paulò, Episcopi aduentarunt, Leontius Episcopus Ancyrae, quae est in parua Galatia, Ammonius Laodiceæ, quae est in Pisidia, Briso Philippi, quae est in Thracia, Acacius Bereæ, quae est in Syria, & alii nonnulli. Coram istis accusatores, qui dudum Ioannem in iudicium vocauerant, de integro producuntur. Ioannes istorum episcoporum æquitate fretus, postulat, vt de criminibus quæratur. Cùm iam natalis dies seruatoris celebraretur, Imperator ad ecclesiam, vt assolet, non accessit, sed Ioanni significauit se non prius cum eo communicaturum, quam crimina ei illata diluisset. Cumque accusatores propter Ioannis confidentiam, animis cadere viderentur, episcopi qui aderant, non de alio crimine quæriri, sed hoc solum in iudicium adduci opportere dixerunt, nimirum quod post abdicationem absque concilij sententia, se ipse in sede episcopalی collocauerat. Vbi Ioannes respondit, quinquaginta episcopos, qui cum ipso communicauerant, ei in ea re suffragatos fuissent, Leontius contraria, at plures, inquit, tibi in concilio refragati sunt. Rursus cum Ioannes diceret hunc canonem non ad illorum ecclesiam, sed ad ecclesiam Arianorum pertinere (nam qui Antiochiae ad fidem consubstantialis tollendam conuenierant, præ odio versus Athanasium concepto, hunc canonom ediderant) rejecto illius responso, contra eum sententiam pronuntiarunt: illud neutiquam animis complexi, quod qui hoc Canone vñ fuissent, etiam Athanasium abdicauerant. Hęc res gestae sunt iam festo Paschatis appropinquante. Imperator igitur Ioanni significat, ei non esse iam potestatem in ecclesiam ingrediendi,

quod

## SOCRAT. HISTOR.

quod duobus conciliis erat condemnatus. Proinde Ioannes ab ecclesiastico munere deinceps vacuit, neque ecclesiam adiit. Quam ob causam omnes, qui illi fauebant, acutum ab ecclesia egressi, festum Paschatis in balneis publicis, quae Constantianae nuncupantur, celebrant; atq; vna cū illis multi episcopi, presbyteri, alijque sacris ordinibus initiati. Qui ex illo tempore, quoniam separatim in varijs locis conuentus agebant, Ioannitae appellati sunt. Ioannes ad spatium duorum mensium non vñquam prodiit in publicum donec Imperatoris mādato esset in exilium abductus. Tum ab ecclesia abstractus, patriæ finibus pulsus est. Eodem die quidam ex Ioannitis ecclesiam incenderunt. Qua quidem incensa, ventus subsolanus grauiter spirans, flammarum præcipitauit in Curiam, sicq; ea quoque conflagravit. Hoc factum est, 12. Calend. Iulij, ad sextum Consulatum Honorij, quem cum Aristæneto gessit. Quibus autem incommodis Optatus urbis Constantinopolis præfectus, religionis professione Gétilis, & propterea Christianis infestus, Ioannis amicos affecerit, & quam grauia supplicia compluribus illorum irrogarit, silentio prætereundum censeo.

*De Arsaci post Ioannem ordinatione, & Cyrino Chalcidonensi episcopo. CAP. XVII.*

**P**AUCIS interpositis diebus, Arsacius, frater Nectarij, qui ante Ioannem præclarè admodum episcopatū Constantinopolis administrauerat, iam ætate valde ingrauescente (amplius enim octoginta annos confecerat) illius urbis episcopus ordinatus est. Quo quidem propter incredibilem suam mansuetudinem episcopatum pacatè trāquilleq; procurante, Cyrius episcopus Chalcedonis, cuius pedem Maruthas, Mesopotamiæ episcopus premendo vestigio inuitus læserat, adeo male eo infortunio affectus affetusq; fuit, vt pes eius putresceret, & propterea necessitate adductus, eum à corpore abscondideret. Neque sectionem semel passus est, sed sèpius. Nam mali contagio per vniuersum corpus serpuit, adeò vt alter pes ea infectus, similiter amputaretur. Huius rei propterea feci mentionem, quod erat multis in ore Cyrinum ista perpeßum, quod Ioannem contumacē, vt à me dictum est ante,

est ante, sepius vocauerat. Porrò cum grando magnitudine  
in usitata in Suburbiis Constantinopolis forte decideret  
(accidit hoc quidem Prid. Calend. Octobris eisdem Cos.  
quos paulò ante citauit) percrebuit sermo istud; Deo irato  
propter Ioannem indicta causa abdicatum, contigisse. Huc  
sermonem Imperatoris mors, quæ illico insecura est, vehe-  
menter auxit. Nam quatriduo post delapsam grandinem, è  
vita decepsit. Erant alii, qui dicebant Ioannem meritò pro-  
pterea abdicatum, quod quādo Ephesum, quo Heraclidem  
Episcopum designaret, iter faciebat, tum Nouatianis, tum  
illis qui Pascha ad decimum quartum diem mēsis primi ce-  
lebrant, tum aliis nonnullis in Asia & Lydia multas eccle-  
sias ademerat. Verùm vtrum iusta fuerit Ioannis abdicatio,  
vt illi prædicabant, quorum animos offendisset, vtrum Cy-  
rinus debitas conuictiorum pœnas dederit, vtrum denique  
propter Ioannem tum grando deciderit, tum Imperatrix  
morte occubuerit, an hæc non ob istas, sed alias ob causas,  
an ob vtrasque Deus ipse viderit, qui occulta intelligit,  
qui que de ipsa veritate iustus iudex est. Ego ea, quæ tum  
crebro hominum sermone ferebantur, literis prodidi.

*Quod post Arsacium Atticus in Constantinopo-  
litano throno collocatur.*

CAP. XVIII.

Arsacius non diu illum gessit Episcopatum, nam se-  
quenti anno, ad secundum consulatum Stelichonis,  
Anthenij autem primum, tertio Idus Novemb. mor-  
tem obiit. Cum autem de Episcopo deligendo à multis ve-  
hementer laboratum esset, & ob eam causam multum tem-  
poris præteriret, proximo anno, Arcadio iam Sextum Cos.  
& Probo primum, Atticus, vir pietate eximius, ex Sebastia  
Armeniæ oriundus, monasticum vitæ genus ab ineunte a-  
dolescentia excolens, doctrina sane mediocri, sed prudentia  
naturaliter insita magis Valens, Episcopus Constantino-  
politanus creatus est. Sed de eo plura commemorabo pau-  
lo post.

*De Ioannis, dum in exilio ageret ad dominum mi-  
gratione* CAP. XIX.

x

Ioannes

S O C R A T . H I S T O R .

**I**oannes pulsus in exilium, Comanis ad Pontum Euxinum sitis exiuit è vita, decimo octavo Calend. Decembris, ad septimum consulatum Honorij & Theodosii secundum. Vir, vt ante docui, propter incredibile temperantiae studium iracundiæ potius, quām obseruantiae indulgens: qui cum adeo acriter temperantiam consestaretur, per omnē vitæ suæ cursum ore liberiore fuit. Evidem demiror, quid causæ esset, cur cum tam ardenti studio duceretur temperantiae, in quibusdam concionibus doceret temperantiam quodammodo contemnendam esse. Nam cum à Concilio Episcoporum illis, qui semel duntaxat post baptismum lapsi fuerant, locus pœnitentiae concederetur, ille non dubitauit dicere, si millies lapsus, pœnitentiam egeris, in ecclesiam ingredere. Ob quam doctrinam et si in aliorum multorum, etiam qui ei familiares erant, offensionem incurrit, tamen à Sisinio in primis Novatianorum Episcopo, qui librum contra hoc eius dictum conscripsit, grauiter exagitatus est. Cæterum ista iam prius acciderant.

*De Sisinio Novatianorum Episcopo, & verbis inter ipsum & Ioannem vltro citroq; habitis.*

C A P . X X .

**H**O C loco tempus opportunum se offert pauca de Sisinio differendi. Vir erat, vt fæpe iam dixi, admodum disertus: in cognitione Philosophiæ venerat ad summum: atque cum in differendi scientia permultum posuerat operæ, tum in sacris literis explicandis erat apprimè eruditus, adeo vt Eunomius hæreticus propter eius in differendo acumen cum eo congregdi sæpenumero recusasset. In vicissim ratione non adeo parcus, sed in ea quidem, licet summa vitæ moderatione & temperantia esset, paulo fuit liberalior sumptuosiorq;. Deliciis & mollicie diffluere visus est, tum quod albo vestitu vteretur, tum quod bis in dies singulos in balneis publicis se lauaret. Qui cum quodam tempore

tempore rogaretur, cur cum esset Episcopus, bis quotidie se lauaret, respondit: quoniam tertio non possum.

Alias cum Episcopum Arsacium honoris causa inuiseret, cuidam ex necessariis Acacij sciscitanti, cur veste Episcopo insueta indueretur, & ubi scriptum reperiret, presbyterum debere alba veste indui, tu, inquit, prius dic mihi, ubi sit scriptum, Episcopum debere nigra veste vti. Ac cum qui rogauerat, haereret, Sisinius responso haec præterea adiecit: tu quidem non poteris mihi ostendere, quod Episcopum oportet nigra veste indui: at me Salomon sic cohortatus est: Sint tibi vestimenta alba. Itemque Seruator, ut ex Euangeliis constat, Alba veste vti visus est: Quinetiam Moyfen, & Eliam albis vestibus indutos Apostolis demonstrauit. His aliisque permultis acutè dictis eos, qui aderant, in maximam traduxit admirationem. Cum Leontius etiam Episcopus Ancyrae, quae est in parua Galatia, ecclesiam Nouatianis absulisset, & iam forte Constantinoli versaretur, Sisinius ad eum accedit: orat ut ecclesiam illis reddat. Tum Leontius excandescens, illi respondit. Vos Nouatiani, non debetis ecclesias habere, qui penitentiam tollitis, & benignitatem Dei ab hominibus clauditis. Ista aliaque id genus complura Leontio ad Nouatianorum reprehensionem dicenti, Sisinius respondit: at neminem adeo penitet, ut me. Cui rursus Leontius, quomodo, inquit, te penitet? Respondet Sisinius, quod te vidi. Porro autem, cum Episcopus Ioannes illum argueret ac diceret, vnam ciuitatem non posse duos Episcopos habere, respondit Sisinius: nec habet. Cumque Ioannes responsum ægre ferret, diceretque: Video igitur, quod solus vis esse Episcopus, tum Sisinius, neque hoc dico, inquit: Sed quod apud te solum non sum Episcopus, qui aliis tamen sum Episcopus. Ioannes, responso grauiter commotus, at ego inquit, te à concionando reprimam: nam haereticus es. Huic facetè respondit Sisinius: at ego, inquit, tum tibi mercedem dabo, si me tanto labore liberaueris. Quo responso Ioannes mitigatus: at ego, inquit, minime à concionando te reprimam: si te illud munus afficiat molestia. Adeo quidem in respondendo acutus, adeoque facetus erat Sisinius.

*Eccles. 9.*

*Lucae 9.*

x 2 At Ion-

S O C R A T . H I S T O R .

At longum esset scriptis persecui, memorareq; omnia, quæ sunt ab eo commode dicta. Quapropter contentus sum pacis, qualis fuerit, declarasse. Illud tamen dico, eum ob doctrinam omnium sermone fuisse celebratum ab omnibus Episcopis, qui eius ætate ordine alter alteri, ibi succedebat, ea de re & amatum plurimum, & in summo honore habitu: quinetiam cuncti primarij viri ordinis Senatorij eum amplexati sunt, atque adeo admirati. Ac tametsi libri complures ab eo conscripti sunt, inque illis sermonis elegantiam consecutatus est, multaque verba poëtica intexuit, dicendo tamen, quam scribeundo plus laudis est consecutus. Nam in eius vultu, voce, habitu, obtutu, & toto corporis gestu multus lepos inerat. Ob quas res vehementer, cum ab omnibus religionis sectis, tum ab Attico Episcopo vel maximè dilgebatur. Atque de Sisinio ista quidem hoc modo.

*De Arcadij Imperatoris ab hac vita decessu.*

C A P . XXI .

**N**ON longo tempore post mortem Ioannis, Imperator Arcadius excessit è vita: vir mansuetus & pacificus: qui extremo ætatis tempore pietatis opinionem adeptus est, idq; ob hanc causam. Est quidem Constantiopolis domus amplissima, quæ Carya dicitur: in cuius atrio est castanea arbor: in qua fertur Acacium martyrem suspensum, occubuisse. Qua de causa parua ecclesia apud illam arborem ædificata fuit: quam Imperator Arcadius videre cupiens, in eam ingreditur: cumque preces ibi peregrisset, decessit. Omnes, qui circiter illam ecclesiam habibant, ad Imperatorem conspicendum confluunt: ac nonnulli extra ædes egressi, transitus platearum anteoccupare contenderunt, vnde putabant se & Imperatoris vultum, & totam stipatorum turbam planius videre posse. Alij Imperatorem ab ecclesia usque eo sequebantur, quoad omnes viri cum mulieribus & pueris extra illam domum exiuerent. Quo facto, illico domus illa, quæ ecclesiæ adiuncta erat, corruit. Vnde fama cum summa omnium admiratione infecuta est, Imperatoris precibus tantam hominum multitudinem ab internecione fuisse liberatam. Atque huius rei gestæ hic existus fuit. Arcadius, filio Theodosio octauum annum ætatis agente

agente post se relicto, moritur, Bassus, & Philippo Coss. Calend. Maij. Anno secundo ducentesimæ nonagesimæ septimæ Olympiadis. Regnauit vñà cum patre Theodosio annos tredecim: Et cum trigesimum primum ætatis annum compleuisset post mortem patris, quatuordecim annos regnauit. Liber continet spa cium duodecim annorum, & sex mensium.

*Finis Sexti libri.*

**I**sta quæ sequuntur, quoniam in alijs exemplaribus reperta sunt, non quasi desiderata, sed alia quadam ratione conscripta, idcirco non incommodum visum est, hoc loco ponere. Eandem historiam continent, quæ de Ioannis itinere Ephesum ad Heraclidem designandum Episcopum suscepto, supra decimo capite perscripta est.

**I**n terea temporis cum Episcopus Ephesi fortè è vita miserasset, Ioannes Ephesum ad Episcopum ordinandum necessariò profectus est. Qui cum illo aduenerat, & alij alium ad Episcopatus dignitatem efferre laborabant, Heraclidem Diaconū suum genere Cyprium, Episcopum designauit. Hac de causa cum Ephesi seditio oriretur, propterea quod Heraclides indignus Episcopatu habitus fuit, Ioannes necessitate adductus, ibi diu commoratus est. Itaque dum illic moram faceret, Seuerianus Constantiopolis auditorum animos maiore benevolentia sibi devinxit. Quæ res Ioanni minimè obscura & incognita fuit. Quippe à Serapione, quem summo amore complectebatur, & cui totam curam episcopatus procurandi, tum quodpius & omnino fidelis erat, tum quod sobrius in primis, & in partibus Episcopi tuendis diligens & perstudiosus.

## SOCRAT. HISTOR.

Proinde Ioannes non diu post redit Constantinopolim: & ecclesiarum administrationem, sicut eius officium postulabat, denuò capessit. Inter Serapionem Diaconum, & Episcopum Seuerianum magna intercessit æmulatio, dum ille huic propterea aduersari cœpit, quòd ei erat in animo omnem in concionando laudem Ioanni penitus præripere. Hic contrà illi inuidere, quòd apud Ioannem in maxima gratia erat, totaque prouincia Episcopatus administrandi ei concredita. Dum ita animis, alter aduersus alterum, affecti erant, odij flamma forte fortuna multo magis exardescere cœpit. Causa autem eiusmodi fuit. Cum Seuerianus quodam tempore ad locum, vbi Serapion erat, accederet, Serapion honorem Episcopo debitum minimè illi impertiit, neque ei assurrexit: siue quòd illum non videbat, yti postea in concilio Episcoporum cum iureiurando affirmauit, siue quòd Episcopi presentiam parui estimabat, sicut Seuerianus afferuit, non equidem habeo dicere: Deus solus viderit. Tum Seuerianus, cum Serapionis contemptum ferre non posset, eum antequam causa in concilio disceptata cognitaque erat, condemnat: & non modo dignitate diaconi abdicat, verum etiam expellit ecclesia. De qua re Ioannes certior factus, iniquo animo passus est. Ac cum causa post in concilio disceptaretur, & se purgaret Serapion, testibusque adductis probaret se Seuerianum non vidisse, Concilium Episcoporum illi condonauit, orauitque Seuerianum ut Serapionis purgationem admitteret. Quinetiam Ioannes Episcopus, quo Seueriano cumulate esset satisfactum, quamuis in omnibus negotiis administrandis Serapione, vtpote ad respondendum de rebus ecclesiasticis acutissimo diligentissimoque tanquam manu dextera vteretur, illum ad septimanam tum ab se segregat, tum honore priuat diaconi. At Seuerianus ne hoc quidem contentus acquieuit, sed omnes vias persecutus est, quibus Serapion non solum diaconatu penitus abdicaretur, verum etiam communione omnino excluderetur. His rebus Ioannes vehementer commotus, surrexit: ac iam è Concilio discessurus, relicturusque cæteris episcopis, qui aderant, causæ diiudicationem, dixit: quod vobis visum fuerit, causa disceptata iudicioque discussa,

pro

pro arbitratu decidite. Ego enim inter eos decernere prorsus recuso. Quæ cum dixisset, decessit, totumq; concilium similiter afflurgens, causam eo loco reliquit, Seuerianumq; grauissime incusauit, quod verbis Ioannis Episcopi non cessit. De cætero autem Ioannes Seuerianum ad colloquium non admisit, sed in patriam reuerti iussit, sic illum allocutus: Non est consentaneum, Seueriane, vt tanto temporis spatio, administrationi ecclesiæ, quæ est tibi concredita, minimè prospectum sit, & Episcopo suo careat. Quapropter abito properè, ecclesiam tuam capessito, illudque Dei donum, quod in te est, nolito negligere. Illo iam in iter ingresso, Eudoxia Augusta certior facta, Ioannem vehementer accusat. Seuerianum Chalcedone, vrbe Bythiniæ celeriter accersendum curat. Ille quām primum reuertitur. Ioannes ab eius amicitia sic animum suum alienauit, vt nullius rogatu in gratiam cum eo reduci posset, quoad Imperatrix Eudoxia in ecclesia, quæ Apostolorum nomine nuncupata est, filium suum Theodosium iu niorem, qui tum valde tenera ætate fuit, ad pedes Ioannis abiectisset: quæ ita illum obtestata, vix adducere potuit, vt Seueriani amicitiam amplexaretur. Verùm tametsi hoc pacto & quæ sequuntur.